BELLUM ANGELICUM.

AUCTORE

FREDERICO TAUBMANNO.

AD

CELSISSIMOS ATQUE ILLUSTRISSIMOS

PRINCIPES,

FREDERICUM GULIELMUM,

DUCEM ET ELECTOREM *SAXONIÆ,*

GEORGIUMQUE FREDERICUM,

MARCHIONEM

BRANDENBURGENSEM.

LONDINI:

Excudebat JACOBUS GED, Anno 1753.

Juxta Exemplar LIPSIÆ Impressum.

Sumptibus THOMÆ SCHURERI.

MDCIV.

ANGELICUM.

Clarissimo Doctissimoque Viro,

GULIELMO KIN

L. L. D.

AULÆ BEATÆ MARIÆ,

CELEBERRIMA IN ACADEMIA OXONIENSI,

PRÆFECTO UNDEQUAQUE DIGNISSIMO;

Summo JUDICII Acumine,

Admirandaque INGENII Elegantia,

Omnium, etiam Inimicorum, Suffragio,

PRÆDITO;

POETÆ atque ORATORI

(Quod Paucissimis datum)

EXIMIO;

ANTIQUIS præterea MORIBUS,

hoc est,

INCORRUPTA FIDE,

VIRTUTE INCONTAMINATA,

ILLIBATA INTEGRITATE,

Cæterisque Homine Christiano dignis dotibus,

Omnigenæ præter Eruditionis Laudem,

Multiplicemque Rerum Usum,

Longe longeque

ORNATISSIMO;

Adhæc,

OPPRESSÆ VIRTUTIS,

ADFLICTÆQUE INNOCENTIÆ,

Præsidio Indefesso, Inconcusso:

NOVAM HANC EDITIONEM

PRÆSTANTISSIMI CARMINIS,

BELLO DE ANGELICO,

AUCTORE

CULTISSIMO VATE,

EODEMQUE JUVENE ADMODUM,

FREDERICO TAUBMANNO,

RHETORICÆ ATQUE POESIOS,
WITTENBURGENSI IN ACADEMIA,
PROFESSORE, dum viveret, CLARISSIMO,

Poſt centum et quinquaginta Annos,
Humaniorum Studioſis Literarum,
Summa Reſtituti cum Fide,
Primum juxta Exemplar,
LIPSIÆ olim Impreſſum,

QUANTA POTUIT MAXIMA CURA,
DILIGENTER ELEGANTERQUE ADORNATAM,

SUO TAMQUAM PATRONO,

DE SE OPTIME MERITO,

PERPETUUM GRATI SUI ANIMI PIGNUS,

DAT, DICAT, DEDICAT, CONSECRAT,

EJUSDEM EDITOR,

Gulielmus Lauderus.

FREDERICI TAUBMANNI

BELLUM ANGELICUM.

LIB. I.

BELLA per ætherios dicam civilia campos:
Ut ſtetit hinc Michael, illinc Draco Miles in armis,
Cum Cœli Juvenes, Divinæ robora Gentis,
Æternum vellent ſceptris avertere Regem.
Vos o Calliope! tantarum expromite rerum
(Si noſtis) cauſſas. Gentem quid in arma beatam
Impulerit: Superûm quid pacem excuſſerit orbi:
Cognataſque acies, & rupto fœdere Fratres
In ſua diſcordi quid viſcera verterit auſu.
Anne Animis etiam tantæ Cœleſtibus iræ!
Cum Deus ingentes mundi procuderet orbes,
Seclorumque novus primum procederet ordo,
Extudit Aligerum mirando numine Turmas:

Quas nulli fas eſt numero ſubducere, nulli
Fas dare ſub cenſum, aut metiri luminis uſu.
Omnes præſtantes: divinæ lucis ad unum
Participes omnes: & cives ætheris omnes.
Non ſimile his quidquam Cœli Mens Provida fecit.
Uno quippe Deo leviores, cætera ſummi.
Senſerat hæc (quis enim non talia ſentiat?) in ſe
Lucifer, ante alios Genius pulcerrimus omnes,
Flos Superum, facieque nimis ſpectabilis alta.
Tanto conſortes inter præſtantior omnes
Ibat in auguſta Divini Principis aula,
Quanto ſplendidior, quam ſidera cætera, fulget
Heſperus; & quanto, quam Veſperus, aurea Phœbe.
Hinc turget, plenuſque ſui, caput erigit amens,
Et ſpes in tantas effertur, ut omnia ſolus
Digerere imperio poſſit, quia poſſe videtur.
Nec mora. Legatis de pluribus eligit unum,
Ardua qui poterat liquidoque fluentia curſu
Verba, vel abſtruſo, vel aperto pingere flore,
Ac dare ſubtili vivacia dicta catenæ,
Adſtrictos quoties in nodum cogere ſenſus
Vellet, ut adfectus, poſſeſſaque corda Deorum,
Irent ſponte ſua, verbis quocumque vocaſſet.
Huic animi curas fidam deponit in aurem,
Conatuſque ſuos, monitiſque audacibus implet.
"! Magnis armare animis! Mora ſegnis abeſto!
Ito!

Ito! ait Ito cito! ſoliumque capeſſe Jehovæ!
Et recta cervice novos ediſſere motus!
Iſte viam invadit, celerique fugacior aura,
Provocat excuſſas Parthi poſt terga ſagittas
Curſibus: inde volans per aperta palatia Divum,
Vix leviter ſummum volucri pede libat Olympum.
Poſſe putes illum ſicco mare radere paſſu,
Ire per intactas maturæ meſſis ariſtas.
Ventum erat ætherii ſperatam Regis ad aulam,
Effuſam ſpatii longis anfractibus aulam,
Gentis & humanæ, coeat ſi cuncta, capacem.
Sella erat in medio, ſublimibus alta columnis,
Auri luce micans, flammaſque imitante pyropo,
Cujus ebur nitidum laquearia celſa tegebat:
Quam non ulla manus, non ipſi adtingere tuto
Auſint Cœlicolæ, quantumvis perpete cura
Veſtibulum inſomnes ſervent, nocteſque, dieſque.
Protinus ad viſum ſua fert veſtigia Regem,
Conſiſtitque procul. Neque enim propiora ferebat
Numina. Purpurea redimitus veſte ſedebat
In ſolio Deus auratis lucente ſmaragdis.
Quem ſtricta facie, pleniſque ita vocibus audax
Adfatur. Fieri quæ mandat Lucifer Heros,
Dux meus, adtentis, age! jam nunc auribus hauri.
Tune, ait, imperio regere omnia ſolus? & una
Filius iſte tuus, qui ſe tibi ſubjicit ultro,

Ac

Ac genibus minor ad terram proſternit, & offert
Neſcio quos toties animi ſervilis honores?
Et tamen æterni Proles æterna Jehovæ
Audit ab ætherea luteaque propagine mundi.
Huic ego ſim ſupplex? Ego? Quo præſtantior alter
Non agit in Superis. Mihi jus dabit ille, ſuum qui
Dat caput alterius ſub jus & vincula legum?
Semideus reget iſte polos? Reget avia terræ?
Me preſſum leviore manu fortuna tenebit?
Haud ita! Tu ſolus non polles fortibus auſis.
Non ego ſic cecidi; nec ſic mea fata premuntur,
Ut nequeam relevare caput, colloque ſuperbum
Excutere imperium. Mihi ſi mea dextra favebit,
Audeo totius mihi jus promittere mundi.
Nec ſum adeo ignarus, magno Cœleſte parari
Imperium. Scio. Sed nobis ſunt fortia bello
Pectora. Sunt animi, & rebus ſpectata Juventus:
Qui caput in cunctos damnatum exponere caſus
Non dubitant; pridemque meo jure duello
Sacramenta tenent; meque omiſſi Marte laborant
Erigere in faſces, & ſceptris tradere veſtris.
Nec feror indignus, tantiſve laboribus impar.
Quo potuit Genium perducere cœlica virtus,
Adſcendi; ſupraque nihil niſi regna reliqui.
Non privata cupit, Cœleſti quiſquis in aula
Luciferum tranſire parat. Hinc miles utrimque,

Hinc

Hinc acies ſtatura Ducum eſt. An Lucifer, an Tu
Victor eas. Non tam valido trahis omnia motu,
Viribus ut nullis poſſint labefacta revelli.
Sit ſubitum, quodcumque paras. Sceptrum exue noſtris
Invidioſum oculis, regnoque excede: vel armis
Cerne, utrum domito Fortuna imponat Olympo.
Jamdudum ſedet hæc animo ſententia, pleno
Succeſſus urgere meos conamine: dudum
Livor edax tibi cuncta negat: Genioſque ſubactos
Vix impune feres. Solio detrudere regni
Te, mihi decretum eſt. Partiri non potes Orbem,
Solus habere potes. Numquam concordia multis
Imperium commune vices produxit in æquas.
Haud capiunt hæc ſceptra duos. Vetat æmula virtus.
Invidiæ ſemper regnum eſt, omniſque poteſtas
Impatiens ſocii. Quid multum? Hæc ſumma precandi.
Cœleſtes Aquilas, inviſaque regna relinquas
Arce procul! Noſtroque velis te credere juri!
Sic genus ætherium ſpretis ſibi conſulat armis!
Inque vicem gens omnis amet! Pax miſſa per Orbem
Munera militiæ volet exercere togatæ.
Pacato quiſque imperio, ſine ſanguinis hauſtu
Mitia legitimo ſub judice bella movebit.
Sin, quæ juſta rogo, porro abnuis ore ſuperbo:
Hic ſubito, hic pacem, temerataque jura relinquam,
Teque ſequar, Fortuna! Procul tunc fœdera! Si nos

Credidi-

Credidimus Fatis, utendum eſt judice bello.
Diſces tunc demum, quod non in Dæmone tantum
Sit nomen, ſit fama ducis; ſed vivida virtus,
Et bellis adſueta manus. Meus æthera miles
Impleat! Atque humiles ſaturentur ſanguine terræ!
Laus belli, tranſire modum; menſuraque juris,
Vis erit. Armorum rabies, ferrique poteſtas,
Confundet decus omne manu, ſcelerique nefando
Nomen erit virtus, cœptuſque exibit in annos
Hic furor æternus: nec proſit poſcere finem.
Atque aliquis, magno dans olim exempla timori,
Inquiet, Haud alios motus tunc Fata parabant,
Quum Superis bellum Geniis civile dediſſent.
Jam ſcis, Luciferi quæ ſit ſententia noſtri.
Hoc Deus audito Genii ſermone, novarum
Obſtupuit ſubita confuſus imagine rerum:
Quaque erat, obtutu tacito ſedet. Æſtuat ingens
Imo in corde dolor, verſatque hos undique motus,
Intentos volvens oculos. Nec regia ſedes,
Nec movet hunc fidei deceptæ injuria tantum,
Quantum in Luciferi ſermone feroci moratur.
Tum quaſſans caput & ſceptrum, ſic ore profatur.
Hei ſtirpem inviſam! Hei votis contraria noſtris!
Vota Operis, nuper quod fecimus! Actus Olympo,
Sceptriſque exutus, jus imperiumque Jehova
Dæmonis accipiet, genibus minor? At mea, credo,

Numina

Numina fracta jacent! Et nomen inane Jehova eſt!
Dein Oratorem intuitus, ſic excipit ultra.
Siccine ais? Dominum patriis expellere regnis,
Decretum eſt Famulo? Vix ſit mihi credere tantum!
O audax facinus! O cœci! Et lucis egentes!
Luce Sati! Quis vos vobis malus abſtulit error?
Tam cito quæ veſtras cepit dementia mentes?
Ut ſpreta auſitis pietate indicere veſtro
Bella Creatori! Regnum mihi turbine nullo
Lucifer excutiet, quantumvis ubere quærat
Proventu ſcelerum, ſubjecto uter imperet Orbi!
Promptius hoc Cœlum, quam Lex æterna jubebit,
Et Mundi textura recens, compage ſoluta,
Corruet; & ſceptrum prius hoc, quo cuncta guberno,
Non erit; & dextra hæc ſine robore caſſa jacebit;
Quam tuus imperium mecum Cœleſte vel ullis
Participet ſæclis Herus impos, & improbus Heros.
I nunc! Atque ipſi, mea quæ ſententia, narra!
Ibat, at haud illo, quo venerat ante, volatu.
Paſſibus incedit timidis, ubi fulmina linguæ
Principis Æterni non æqua acceperat aure.
Sudant corda metu. Stant alto pectore voces
Infixæ. Menſura metus erat iſta. Jehovam
Velle putat quæcumque poteſt. Sic Dæmonis aulam,
Spemque metumque inter dubius, redit. Ordine pandit
Omnia. Sermo labans aliqua formidine pectus

Arguit implicitum. Multa tamen arte furorem
Conceptum, ſævamque Ducis deflectere mentem,
Pacifero ſermone parat. Cura omnis in hoc eſt,
Tollat ut inſanum Belli Civilis amorem.
O præſtans, inquit, Juvenis! quantum ipſe feroci
Virtute exſuperas, & cunctos fortibus auſis
Cœlicolas anteis, tanto me impenſius æquum eſt
Conſulere, atque omnes metuentem expendere caſus.
Sunt tibi Conſortes, (fateor) magnique paratus,
Sunt & opes, ſunt & non parvo pondere vires,
Sunt alia ad bellum momenta inſignia: certum
Conſilium, doctique doli, natæque ſub armis
Inſidiæ. Verum ſine me hæc haud mollia fatu
Sublato proferre metu. Simul o animo hauri!
Armatam deſiſte manum conferre Jehovæ!
Qui te cumque manent iſto certamine caſus,
Ut ſint felices, metuo! Majore profecto,
Quam credi poterit, diſcrimine ſumimus arma.
Sed venient majora metu. Fors dicta refutet!
Et metui ſit nulla fides! Si, Lucifer! umquam
Conſilium gratum fuit; aut prodeſſe meorum
Quod potuit. Gratum ſit & hoc! Sit & utile! Pacem
Cum Superis cole, damnatis civilibus armis.
Cum Jove certanti ſemper gravis exitus inſtat.
At non Luciferi tantis violentia dictis
Flectitur. Exſuperat magis, ægreſcitque medendo:

Datque

Datque animos furiis, totoque adſtantis ab ore
Scintillæ abſcedunt. Oculis micat acribus ignis.
Ut primum fari potuit, ſic turbidus infit.
Cœpto ut ego abſiſtam? Levis ut mea dicta retractem?
Me fruſtra terrere minis ignobilis audet
Cœlicolum Rex iſte, Hujuſque Ignava Propages.
Quam tu nunc curam pro me geris, hanc (age!) pro me
Deponas. Et ne fruſtra nos omine tanto
Proſequere, in grati certamina Martis ituros.
Et nos tela manu, ferrumque haud debile dextra
Spargimus. Et nobis animoſa audacia cordi eſt.
Quique fluat, noſtro non deerit vulnere, ſanguis.
Tollite quamprimum! Mavortia tollite ſigna!
Viribus utendum eſt, quas fecimus. Arma tenenti
Omnia dat, qui pauca negat. Pete, Nuntius! æthra,
Ac refer haud placitura iſti mea dicta Tyranno.
Jamque dies primos Martis viſura tumultus
Exoritur. Triſtis ſtabat ſuper æthere Titan,
Venturamque loquens objecta per omina cladem,
Signa dabat Mundus belli manifeſta propinqui.
Iſte, licet cladem Cœli Terræque minentur,
Major in arma ruit certa cum mente malorum.
Fortunæque ſuæ per ſumma pericula gaudet
Exercere vices. Nec, dum deſæviat ira,
Exſpectat. Medios properat tentare furores,
Turpe videbatur rapiendi tempora belli

In ſegnes exire moras. Stetit aggere fulti
Ceſpitis, audaci vultu; meruitque timeri,
Non metuens. Atque hoc ſocias adit ore cohortes.
Venit ſumma dies. Geritur res maxima, Fratres!
Concurrent hodie Rex Cœli & Lucifer armis.
Ingentes præſtate animos! Præclara manebunt
Præmia Victorem! Bellum nil fortiter auſum
Detegit imbelles animos. Huc ingeret omnes
Succeſſus Fortuna ſuos. Nos juſtius arma
Induimus. Quando, pro Libertate tuenda,
Detrahimus Dominos, nobis juga ſerva daturos.
O MISERUM! quicumque ſui jus perdidit. Annos
Serviat æternos, quem maximus ille timorum,
Perterret Mortis timor! Armorum unica merces,
Conatuſque hujus Libertas Aurea nobis.
Nunc Socii! Nunc fite viri! Sit prona ruendi
In ferrum! In fatum mens! Heroi ite capaces
Funeris & Famæ! Timidorum eſt parcere vitæ!
Æthereas audax veniam metator in arces.
Nec JOVIS imperium, neque fas, neque fœdera legum,
Hoc audere vetant. Hodie cadat alea Fati,
Alterutrum merſura caput! Sic dixit, & acres
Irarum movit ſtimulos, Turbæque calorem
Excitat in nimios Belli Civilis amores.
Protinus elatis omnes clamare lacertis.
Accipe devotas in cuncta pericula dextras!

Emicat

Emicat ingenti ſubito clamore Miaſtor,
Cui triplici crinita juba galea alta Chimæram
Suſtinet, Ætnæas profiantem gutture flammas.
Fulmineum torquens enſem ſic ore profatur.
Lucifer! Angelici jamdudum Maxime Rector
Nominis! Hic veras ſi fas expromere voces:
Quod tam lenta tuas tenuit patientia vires,
Indignor. Deeratne tibi fiducia noſtri?
Dum movet hæc vegetus ſpirantia pectora ſanguis,
Dumque alacres auſis animi, dum robur in armis;
Indignum patiere DEUM? faſtumque JEHOVÆ?
Uſque adeo miſerum eſt, bellis adquirere regnum?
En dextram! En caput hoc damnatum hoſtilibus armis!
Obſequioque tuo! Quaqua me juſſeris, ibo.
Per Cœlum hoc juro Magnum, per quidquid in illo eſt,
Perque novum Regnum, & cui nunc imponeris Orbi,
Pectore ſi Fratris gladium, juguloque JEHOVÆ,
Condere me jubeas; quin hæc in viſcera noſtri
Corporis ipſius; ſi evolvere Luminis Orbes
Hos jubeas; prompta peragam tuus omnia dextra.
Dixerat. His cunctæ ſimul adſenſere Cohortes.
It clamor Cœlo, pulſuſque remurmurat æther.
Qualis piniferi Boreas cum Thracius Oſſæ
Rupibus incubuit, & pollens fulmine mugit
Auſter ab adverſo: jamque hinc, jamque acriter illinc,
Eruere inter ſe valido conamine certant

Silvam

Silvam Dodones. It turbo. It ſtridor. Et altæ
Mox feriunt terram concuſſo ſtipite frondes,
Moxque recellentes redeunt ad ſidera quercus.
Lucifer, ut cœptum tam prono milite bellum
Fata juvare videt, ne quo languore moretur
Fortunæ curſum, jubet illicet ære recurvo
Stridentes inflare tubas, ſonituque canoro
Protinus armatos ad ſigna ciere maniplos.
Paretur. Rapuere flagrantis in omina belli
Præcipitem curſum, ſeque exhortantur in arma
Certatim, & tumidos acuunt in corde furores.
Omne placet Ducibus Fato committere robur
Militis, & nullo fraudari ſanguine Martem.
Pandite nunc Helicona, Deæ! Memorate canenti,
Qui bello exciti Proceres: quæ quemque ſecutæ
Complerint campos acies: quæ funera ferro
Dux Michael, ſtrageſque Draco quas fecerit: & quem
Quiſque manu victrici imo turbaverit Orco.
Has mecum ingentes oras evolvite Belli!
Ante aciem primam, denſa inter tela Virorum,
Magnifice ingreditur Rufus Draco. Qualis Orion,
Quum pedes incedit medii per maxima Nerei
Stagna, ſecans undas, humero ſupereminet omnes,
Maximus, & celſum caput inter nubila condit.
Terribilem criſtis galeam, flammaſque vomentem,
Deſuper indutus, loricamque ære trilicem,

Sangui-

Sanguineam, ingentem, ſquammaq; horrente rigentem.
Qualis in aerio nubes cum cærula campo
Solis inardeſcit radiis, lateque refulget.
Hinc atque hinc auro ſuras incluſit operto.
Dextram ſtridenti magna vi nititur haſta.
Vix illam famuli Doleruſque Bereſque ferebant,
Vaſtis connixi ſcapularum viribus. Ille
Ardentes oculorum orbes huc volvere & illuc,
Dentibus infrendens, acreſque in pectore vertens
Latranti ſtimulos, ductores agminis, omnemque
Ex alto luſtrare aciem, campique patentis
Ingenium, faciemque loci, rerumque favorem,
Et Belli eventus, vireſque examinat Hoſtis.
Eminus illum omnis caſtris effuſa Juventus,
Turbaque miratur Superum, & proſpectat euntem,
Adtonitis inhians animis. Quem Lucifer Heros,
Stans ex adverſo, magno ſic excipit ore.
I! Decus i noſtrum! Regni Spes una futuri!
Sentiat has vires Belli rudis incola Cœli!
Quídque Draco poſſit, hodie experiatur in armis!
Hunc juxta Satanas, quo non verſutior auceps
Temporis ac rerum; caſus edoctus in omnes,
Et facere inſidias, Hoſtique innectere fraudem,
Et ſibi diſpoſitas aperire & fallere fraudes.
Secum armata trahit Mavortis habentia vultus
Agmina, & abſentes avida ſpe præcipit Hoſtes.

Poſt

Poſt hunc Pſycholetrus, Divum Contemptor! agebat
Mille viros. Digni, qui ſub meliore mererent
Imperio, & quibus hic Bello non prævius iret.
Deinde furens animis aderat Brotolægus, apertæ
Terribilis cono galeæ, criſtiſque coruſcis
Horridus. Aerias qualis diffundit in auras
Quercus amœna vagos ſublimi vertice ramos.
Hunc Legio denſis late comitatur in armis.
Tum gemini fratres ſubeunt, Scæteſque, Phoneuſque.
Ille bonus funda, hic longe fallente ſagitta.
Hos Planus, & longis ſequitur Philocertimus haſtis.
Hos Machles, animi præceps, & Martius Hæmon.
Quos nimbus peditum juxta comitatur euntes.
Ibat & Euroſtes, Caput inſuperabile Bello!
Cum quo magnanimus haud auſit cernere Mavors.
Hunc ſuperadvenit calida de ſede Machetes,
Qua nimio ſubjecta die Sol regna tuetur,
Deſide Natura qua torpet Mundus, & annum
Neſcit ſegne ſolum, neque recreat aeris umquam
Temperie gremium, putri ſed pulvere meſſes
Enecat exſuccas. Hinc ducens agmen Olympo
Bellipotens Genium, & florentes ære catervas.
Scuta ſonant, pulſuque pedum tremit excitus æther.
Quin & Mænalia venit Celeus ab Arcto,
Phelus ab Occaſu, ſtabulis Omeſtus Eois.

Omnes

Omnes ad bellum facti: populoſque Draconi
Sexcentos rapiunt, momentum inſigne daturos.
Ibat & Alletæ Proles ſæviſſima bello
Cibalus, arma fremens, & ſolis efferus armis:
Horrida præcipue cui gens, quæ teſqua fatigans
Venatu invigilat, cunctiſque adſueta vigorem
Non mutat, vireſque animi non deterit: ipſa
Durum ab ſtirpe genus, ſemperque parata recentes
Convectare domum prædas, & vivere rapto.
Ultimus ille Hominum, Satanæque interpres Eriſtus,
Conſiliis habitus non plane futilis auctor,
Seditione potens: cui ſemper copia fandi
Larga, Patrum quoties implenda eſt curia verbis,
Dum magnæ volitant tuto ſine vindice voces,
Murorumque agger ſecluſum diſtinet hoſtem.
Frigida ſed nimium bello cui dextera, ſi quem
Forte virum gladius juſti diſſuaſor in armis
Viderat adverſis, animoque inſtare feroci.
Mille trahit ſecum Genios horrentibus haſtis.
Sanguineæ rutilant criſtæ, micat æreus umbo.
Mox tuba terrifico ſonitu procul unca ſecundum
Increpuit, juſſitque ſuam Dux quiſque Cohortem
Maturare moras, atque otia ſolvere belli,
Et faciem pugnæ, vultuſque inferre minaces.
Nec minus ipſe Draco, validam connixus in haſtam,
Stabat, acerba fremens, ductoreſque agminis ultro

Vocibus adfatur moturis prælia, & omnium
Exacuit mentes, ſcelerumque inducit amorem.
Arma fremunt omnes! Omnes ſimul arma requirunt!
Sævit amor ferri, concorſque inſania pugnæ.
Sic nuper vidi plenos reſonare caminos,
Flammamque ardenti ſilices fornace ſolutos
Concipere ignitam liquidarum adſpergine aquarum.
Dein Draco Lucifero. Tu ſpes (age!) præcipe certas.
Hæc Te hodie faciet Mundi Victoria Regem.
Tu modo, dum adverſæ pavitant ſine robore partes,
Tolle moras. Nocuit multum differre paratis.
Hæc fatus, totis agmen procurrere caſtris
Imperat, & latis aciem diffundere campis.
Planicies ibi forte fuit tellure patenti,
In longum porrecta modum. Vix lumine quiſquam
Metiri poterat ſpatioſas æquoris oras.
Hæc placuit belli ſedes. Hic ordine cunctas
Explicuit turmas, numeroſaque ſigna cohortum;
Spectandaſque ducum vires, & militis uſum,
Amplius oſtentans, caſtris indulſit apertis.
Ecce! Ruit longo Mocus ſuper æquora, & una
Theſcelus, atque ambo quammox admittier orant.
Rem magnam, pretiumq; moræ fore. Primitus Hæmon
Accepit feſſos, ac Mocum dicere juſſit.
Qui ſic. O Martis Soboles Draco! mentibus æquis
Accipe, quæ ferimus: neve hæc ſpectentur ab ævo,

Quo

Quo ſumus impubes. Naturam vidimus ipſi,
Inſidiaſque loci. Certe in nos commodat omne
Obſequium Fortuna ſuum, ſi diſcimus uti.
Cernitis, ignota fruimur regione locorum,
Et nobis dudum vetitis conſiſtimus arvis.
Ni prompti, Fortuna viam qua monſtrat, eamus,
Hoſtis ab inſidiis noſtros tenabit, & aſtu
Explorabit opes, & quanti ſimus in armis.
Comprenſum dextra juvenem Draco clarius omnem
Rem juſſit narrare ſuis. Hic pergit. Id ipſum eſt,
Quod loquor. Exquiſita doli modo furta propinquo
Vidimus abſceſſu, tacitæ miracula pugnæ
Quæ poterunt præbere tuis. Juga ſaxea rupes
Adtollunt geminæ. Tellus hinc ardua celſos
Continuat colles, & longo prodiga tractu
Excurrit, quacumque ſinit promittere viſum
Lux oculi, mediiſque ſedent convallibus arva.
Hic curvi amfractus ſubſunt, tacitique receptus.
Hic locus invicto patiens munimine cingi,
Natus ad inſidias, fraudique adcommodus uni,
Armorumque dolis. Hunc denſis frondibus atrum
Urget utrumque latus; præruptaque utrinque crepido,
Ceu ſpeculæ, inſolito conſurgit in aera dorſo.
Eminus unde hoſtis liceat deprendere motus,
Atque hos aut ſigno, vel aperto prodere cornu.
Huc tenui primum pede ſemita ducit euntes,

Anguſtæque latent fauces, adituſque maligni.
Intro ſi ventum eſt, jam ſe non cogit in arctum
Mons latus. Effuſis campo datur ire patenti.
Dixerat hæc Mocus. Quos contra ſic Draco Rufus.
Quæ vobis? Quæ digna rear pro talibus auſis
Præmia poſſe dari? Fidiſſima pectora! Moce!
Vidiſti, quo nuper equo, quibus acer in armis
Inceſſi? Illam ipſam galeam, criſtaſque comantes,
Munera concedam tibi. Et hæc tua præmia, Moce!
Theſcele! care puer! (qui ſupra puberis ævi
Jam metas exire paras feſtinus, & audax
Laudis & ingenii, nondum patientibus annis,
Vixque viris implenda facis) Quo munere tandem
Te cumulem? Tripodas geminos, bina aſpera ſignis
Pocula, loricam, decus & tutamen in armis!
Hamis conſertam tortis, auroque bilicem:
Inſuper æratum, multoque labore Cyclopum
Sudatum, thoraca dabo, lectiſſima certe
Munera! Sic fatur. Breviter cui Theſcelus. O Dux!
Per caput hoc juro, per quod mihi carius hoc eſt,
Nulla tuis ſine me quæretur gloria rebus,
Seu pacem ſeu bella geris. Te pectore toto
Accipiam, & caſus lateri (modo dignus) in omnes
Ibo comes, neque me quiſquam tam fortibus auſis
Diſſimilem arguerit, fatum quodcumque ſequatur.
Finierat Juvenis. Cum ſic Draco. Maxime Victor!

Huc

Huc ades! O Satana! Fœcundum concute pectus!
Atque novam fraudem fraudi ſuperadde repertæ!
Nunc opus eſt furtis. Devexo in tramite campi
Ocius inventas delecto milite fauces
Obſide! Hinc hoſtes inopino invadere furto,
Hinc potes auxilium noſtris effundere certum
(Si ſit opus) turmis. Melius tu cætera noſti.
Extemplo ſecreta SATAN parat auſa. Maniplum
Colligit, & preſſis jubet ora quieſcere linguis.
Neu tuba præmoneat quemquam: neu dividat horas
Buccina: neu ſtrepitus turbatas territet auras.
Paretur. Tacito ſperatas Marte locorum
Arripit inſidias, neque pulvere proditus ullo
Confraga deſerti dumeta obſidit opaci.

BELLI ANGELICI
LIBRI PRIMI
FINIS.

FRE-

FREDERICI TAUBMANNI

BELLUM ANGELICUM.

LIB. II.

NUNTIUS interea per regia tecta JEHOVÆ
Præproperam ſuperante moram pede fertur, & omnem
Occupat inſuetis late clamoribus aulam.
Inſtructos armis patria de ſede Dracones,
Agmine non uno, totiſque adſcendere Cœlis.
Præterea diviſſe operas, Satanamque doloſis
Inſtare inſidiis, ſed aperto Marte Draconem.
Heu nihil occultis fas quemquam fidere rebus!
Clam Satanas ſua furta putat. Scit totus Olympus.
Tum Pater Omnipotens, qui res Hominumq; Deumq;
Æternis regit imperiis, ſuper ardua tecti
Concilium cogit, Cœlos unde eminus omnes,
Caſtraque Luciferi ſpectet, Turmaſque Draconis,
Inſidiaſque loci. Conſidunt. Incipit ipſe.

(Quo

(Quo dicente, ſilet Superum domus ampla, caviſque
Terra micans venis intra ſua viſcera motus
Excitat, & ſubito rurſum tremefacta quieſcit
Voce nova: ponunt venti: premit æquora pontus.)
Cœlicolæ Magni! quo res diſcrimine agatur,
Cernitis! Æthereis rabies adfunditur oris.
Gens vires exoſa meas, me ponere regni
Decrevit ſceptris. Ardet jam milite Cœlum.
Maturate moram! Contra ite! Recidite ferro
Improba membra Poli, ne pars ſincera trahatur!
Hunc mihi tu proprium, Michael! ſate luce! laborem,
Hanc da operam! Deſponſa tuæ eſt hæc gloria dextræ.
Gloria! quæ nullo tenebris damnabitur ævo.
Poſteritas tibi ſera canet Pæana. Mereri
Te volet obſequio ſibi propter id Orbis & Æther.
I modo! Damnatis offer te irriſe periclis!
Luciferas i frange acies! I! Sterne Draconem!
Ne noſter violetur honos, infractaque cedat
Fama loco! Ne Cœleſtes obſidere fines
Sperent Sattanici, aut alii tranſcribere Regi
Soli ſceptra tuo, Michael! decreta labori.
Hic finis fandi. Solio tunc ſe erigit aureo
Jova pater. Medium comites ad limina ducunt.
Mox Princeps Michael magnus parat arma. Coruſcam
Induitur galeam, clypeique inſigne decorum.
Jamque adeo rutilum thoraca indutus, aenis

Hor-

Horreſcit ſquamis, ſuraſque includitur auro.
Acer & excuſſis jam fulminat enſe lacertis.
Enſis hic ardebat ſtellatus jaſpide fulva.
Sic lucens armis, gradibus ſic aureus altis
Deſcendens, ſubitum ſpe certa præcipit hoſtem.
Non aliter vidi, (liceat componere magnis
Parva mihi!) cum purpurei patefacta diei
Verna nitet ſpecies, Francis in ſaltibus anguem,
Qui veſtem, ſpoliumque cutis, tunicamque ſenectæ,
Exuit in ſpinis, nitiduſque per avia vernat
Teſqua, per & frutices & florida prata renato
Corpore luxuriat, rapidoque volumine longos
Dat tortus, gyroſque rotat, ſaltumque minatur
Arduus ad Solem, & linguis micat uſque triſulcis.
Tum prius ad Solium verſus, ſic ora reſolvit.
Jova! Fave cœptis! Non his Te proſequor armis,
Nec populum Tibi ſorte datum, nec ſceptra Deorum.
En! Adſum Michael! Cœlo, Terraque, Marique,
Miles ubique Tuus, quamvis ſim Pacis Amator.
Ille! Erit ille nocens! qui Te ſibi fecerit hoſtem.
Stat caput hoc cunctis devotum exponere pœnis!
Me! Me acies feriant Satanæ! Me ſæva Draconis
Tela petant! Diris ruat huc Philocertimus haſtis!
Huc ruat Euroſtes! Cunctis ego pervius armis
Excipiam medius totius vulnera belli.
Hic redimat ſanguis, redimi hoc qui ſanguine gaudent.

Nec

Nec patiar, quoquam fuerit diſcrimine notum,
Dux an Miles eam. Media de plebe quod eſſet
Militis, ipſe feram. Neque me tam vile pudebit
Ferre miniſterium. Quoniam Tua magna voluntas
Fert ita, MAGNE DEUS! Nec coram plura locutus,
Corripuit ſeſe, & pulcra citus extulit aula.
Non minus interea ſociis Gabrielus in armis,
(Quem neque fas telo cuiquam violare, nec enſe)
Martem acuit, juſtamque animos hortatur ad iram:
Militiæque rudes Genios, inſuetaque caſtris
Agmina, in arma vocat ſubito; turbaque ſub ipſa,
Telum immane, manu valida, nodiſque gravatum,
Bellator quatit inſignis. Juxtaque tumultu
Imminet armorum Raphael, medicamine pollens
Artifici, & Genium vitas edoctus ad unguem,
Fatorumque moras ſucco proferre ſalubri,
Serpentumque greges diro exarmare veneno,
Voce iras mulcere, & morſus arte, gravemque
Spirantes ſaniem tactu ſopire Chelydros.
Pone Uriel volitat, longumque per æthera claris
Exſuperat telis, & luce coruſcat ahena,
Agmen agens Genium, magnique ipſe agminis inſtar.
Una ingens venit Hierameel, clementior Heros:
Multa ſuper faſtu queritans, ſuper agmine multa
Luciferi, ſociam qui mallet jungere pacem,
Quam ſibi cognato generi dare prælia ferro.

Ibat & Agaſtus bello, pulcerque Melictes.
Ille bonus tractare fides; hic carmina nervo
Alternis ſociare modis, & voce canora.
Ætatis, mentiſque pares; ambobus & idem
Ardor virtutis; geminuſque utrique cupido
Laudis, & ad pugnam, Martemque, ferocia concors.
It Pubes Divina ſimul, clypeataque campis
Agmina denſantur. Armis fremit horridus æther.
Tum Michael ſeſe multis cum millibus Heros
Inceſſu medium tulit; utque indixerat alta
Majeſtate manus tranquilla ſilentia Turbæ:
Sic, enſem adtrectans, veneranda voce profatur.
O ſcelerum Ultores! Melioraque ſigna ſequuti!
O vere Divina Manus! Fortiſſima Pubes!
Flos Genium! Virtuſque Poli! quos juſtus in hoſtem
Fert dolor, & merita ſuccendit Lucifer ira:
Ad magnum virtutis opus componite mentes!
Vadimus ad belli rabiem, ſummoſque labores.
Durum iter! Abjecta vitæ dulcedine pergant
Indomita cervice mori, mea caſtra ſequuti!
Idque edico prius: neque enim mihi fallere quemquam
Eſt animus, tectoque metu ſupponere Fatis.
Illi abeant mecum, quos ipſa pericula ducunt;
Qui, me teſte, pati duriſſima quæque, decorum,
Divinumque putant. Ego ſemper prævius ibo;
Primus & objiciam venienti pectora ferro.

Me

Me petat enſe Draco! Diris mihi perfidus haſtis
Occurrat Stomphax. Vos veſtra pericula fato
Prætentate meo! Vis, Bellum, Vulnera, Letum,
Dulcia Virtuti! Sed ne diffidite noſtris
Viribus, aut aliquem fruſtra ſperate timorem.
Cauſſa pia, & magno ſe Judice noſtra tuetur.
Ite modo! Et plenis pugnam depoſcite votis!
Hoc Draco dat Bellum. Noſtra eſt Victoria Belli.
Militiæ licet iſte rudes nos dicat, & armis
Indociles, Cœlum juro, Prius omnia miſtis
Sidera ſideribus concurrent, totaque diſcors
Machina concuſſi turbabit fœdera mundi:
Quam mendax fruſtretur eas Victoria partes,
Pro quibus Omnipotens Princeps ſtat in agmine Miles.
Dixerat. Exclamant, En! Nos rape in omnia tecum!
En! dextras (dextraſque levant) animaſque ſub armis
Projicimus viles, juguloque laceſſimus Hoſtem.
I! Michael! Sequimur. Nihil ultra Fata moramur.
Illicet adſenſu conſpirant cornua rauco,
Armorumque fragor, clangorque, per æthera mugit.
Solvuntur ſtatione Duces. Raphaelque, Urielque,
Hierameelque ruunt. Reliquæ ſimul impete crebro
Adglomerant acies. Miſcetur pulvere Cœlum.
Vertitur in medio, circumdatus agmine, vaſti
Suſpectus Michael, & toto vertice ſupra
Eminus adparet, claraque in luce refulget,

Os, humeroſque Deo ſimilis. Namque ipſe JEHOVA,
Huic frontis decus auguſtum, lumenque juventæ
Purpureum, & lætos oculis adflarat honores.
Cum paullum a prima digreſſi ſede fuiſſent,
Quin prius hic curſum ſubito deflectimus, inquit,
Quæſitum Satanæ fraudes in valle propinqua?
Obruimuſque viros? Artemque eludimus arte?
Juſſi prorumpunt. Atque ocius alite lapſu
Tranſmittunt campos, pronique ad Dæmonis antrum,
Qua juga, qua valles, & qua via nulla, feruntur.
Jamque humiles, jamque elatos ſublime videres,
Per rapidamque viam ferri, & volitare ſub æthram.
Qualis cum Pindi ſummo de vertice ſaxum
Avulſum ruit in præceps, quod turbidus Auſter
Reſcidit, aut fracta exedit radice vetuſtas;
Fertur in abruptum, & longo ſurſum atque deorſum
Limitis exſultat ſulco, celerique rotatu
Vix oculos patitur ad ſe pertingere noſtros.
At Vigil, excubiis cui tunc obſidere colles,
Amfractuſque datum, vicino ubi ſerius agro
Proſpicit obſcuram glomerari pulvere nubem,
Acriter e celſo proclamat vertice ſaxi,
Quis globus, o Satana! tenebris ibi volvitur atris?
Ite citi Socii! Rapite arma! Scandite rupem!
Hoſtis adeſt! Certe Hoſtis adeſt! Toto agmine proni
Vallis ad inſidias, & jam loca nota feruntur.

Mille

Mille trahunt populos, vixq; (autumo) longius abſunt,
Quam quater excuſſus metatur arundine nervus.
O ſcelus! His noſtros quis tam cito prodidit actus?
Ingens cor Satanæ rupit pavor ocius. Omnes
Deficiunt artes. Dolor, iraque miſta pudori,
Turbatum in diverſa trahunt. Arma arripit amens,
Præcipitanſque moras, ſummæ faſtigia rupis
Adſcenſu prior exſuperat; cumque agmen ad ipſas
Radices jam montis agi, ſtrictoque latebras
Conſpicit enſe peti; Quanam ſpe prælier? inquit.
Vincimur (heu!) numero. Fatumne Draconis ad aures
Nuntius hoc referet? Jampridem cuncta ſalutis
Intercluſa via eſt. Tutone exibimus antro?
Collatiſque palam ſignis pugnabimus Hoſti?
Deficiunt vires. Veniamne petemus inermes?
Hoc, Pudor! hoc prohibeto nefas! Fiducia campi,
Saxorumque moræ, curſu Michaelis in ipſo,
Præcipites frangent motus. Hoc limite bellum
Hæreat! Hic lentis terat otia miles in arvis!
Dum juvet hunc aliqua melior Fortuna laborem.
Aut Draco (quod potius reor) huc felicibus armis
Adferat auxilium. Citius præſaga mali mens
Huic dabit augurium, monitumque per omina ducet.
Interea natura loci, properatus & agger,
Securas intra dabit hæc tentoria curas.

Talia vociferans, parvo diſcrimine Leti,
Itque huc, itque illuc ; nec ſat rationis eundi eſt.
Jam fragor armorum clareſcit, & ingruit horror
Militis. Hi primas trepidi formidine fauces
Aggere confirmant, tutoque pericula vallo
Defendunt inopina ſuis. Dux ſcandere montem
Cum ſociis ardet ; Michael ſi forte ſupinos
Tentaret ſcopulos, proſpectumque arripit omnem,
Auxilio ſi forte Draco, ſi forte veniret.
Cætera pars intus, ſubitum partita periclum,
Diſcurrit, variatque vices, quod cuique tuendum eſt.
Hæc Michael ubi clauſtra venit, rotat acriter enſem,
Fortunamque loci, tutelamque aggeris, omneſque
Explorans aditus, volat huc, volat ocius illuc,
Qua tentet ratione vias, & qui modus hoſtem
Excutiat vallo clauſum, atque effundat in agros.
Tum caput adtollens, Satanam ſic increpat. Ecce!
Quem votis optaſtis, adeſt! En arma! Viroſque!
Ito foras! Lumbrice! Foras! Nunc tempus agi rem.
Ecquis erit, tecum qui jam moriturus in Hoſtem?
Fortia quando vides gladio tua dicta repoſci.
Me fruſtra oblatras tuta de rupe, nec ullo
Spectatus ferro. Dextra, non ore protervo,
Bella cie! pro te ſi quid præſentius audes.
Dixit. Et extemplo ductores cogit, & illos
Conſulere ad rerum ſummam jubet. Optima bello
Pectora!

Pectora! ait, magnis video ſtatura periclis,
Et longas tractura moras hæc robora valli.
Hic duo conſiſtant quarta legione, Melictes,
Omeſtuſque, animis ſpectati & rebus uterque.
Obſidione aditum firment, cuſtode coronent
Undique Sattanici divortia nota receptus,
Ne quiſquam ſeſe eripiat. Nos porro Draconem
Quærimus. Hæc dicens, totis diſcurrere caſtris
Imperat, infeſtoque Hoſtem depoſcere vultu.
At Draco, fortunæ ſociorum ignarus, opacam
Ut procul adſpexit campo conſurgere nubem,
Ardenteſque acies Phœbi radiantis ab ictu
Spargere fulgorem diverſo lumine, clamat,
Arma Viri! Rapite arma Viri! Ruit agmine pleno
Huc Michael. Campos aufert pedes obvius omnes.
Jamque intra teli jactum diviſus ab Hoſte,
State Viri! Michaelus ait. Hic ordine Bello
Ibitur. Hic ſtabit Civilibus exitus Armis.
Inſtaurate acies, & ſigna minantia pugnam!
Ne qua mora ignavos tardet, ſi juſſero pronum
Hoſtis in occurſum ſparſas extendere partes.
Jamque acies campo directæ utrinque patenti
Stant avidæ adflictus, exſpectanturque ſub ictu
Terga virum. Vix tanta moræ diſpendia parvæ
Mente ferunt æqua. Pugnæ tam dira cupido!
Tam ſævæ increſcunt animis diſcordibus iræ!

In medium ceſſere Duces, Michaelque, Dracoque.
Cui Michael. Qua quæſo tui ſpe talia tentas ?
Ut præter morem, contra jura omnia, contra
Fata Dei, Bellum perverſo numine poſcas.
Tantane te propriæ tenuit fiducia dextræ ?
Sane grande nefas Civilia Bella fatemur.
Atque utinam noſſes ! Neque tam furialia mentem
Vota tuam traherent. Mallemus parcere ferro,
Grataque concordi traducere fœdera nexu,
Quam tua crudeli vexare pericula Bello.
Sed quo Fata trahunt, Virtus animoſa ſequatur !
Crimen erit vobis, & me feciſſe nocentem.
Non noſtra, ſed ſponte Dei, nos ſumpſimus arma ;
Queis tu ſacrilego jam pendens ſanguine pœnas,
Experiere adeo, Non eſſe ad Bella fugaces,
Qui Pacem potuere pati. Cui ſic Draco contra.
Egregium vero Ductorem, Garrule ! præſtas
Agminis egregii ! Virus ſi futile linguæ
Sterneret adverſo congreſſas Marte cohortes,
Jampridem Draco deſpretis occumberet armis.
Scilicet, ut cernis, Quantus ſim milite forti,
Te piget incepti, cupereſque recedere Bello.
Hinc adeo blandis me delenire querelis
Tentas, more tuo. Sed non, niſi ſanguinis hauſtu,
Occupet imperium Rufus Draco. Sanguine regnet !
Gratius eſt, quoties magno ſibi conſtat Honeſtum !

Huc

Huc igitur, Periture! veni! neque differ in horas!
Hoc dabitur campo belli tibi finis & ævi.
Sic ait. Et magnis contorquens viribus haſtam,
Adflixit Cœlo. Tremefactus inhorruit æther.
Sic Draco. Sic Michael. Non hæc me fervida terrent
Dicta, Ferox! aut vana tuæ convicia linguæ.
Ingenio facis æqua tuo, cui plurima cædes
Semper, & indomiti ventoſa ſuperbia fræni,
Iræque, inſidiæque, et prava calumnia cordi eſt.
In facies te verte omnes, & contrahe quidquid,
Sive animis, ſive arte vales, ſeu robore belli:
Non tamen æthereis errare licentius oris
Te ſinet hic enſis, neque vindex ira JEHOVÆ.
Sic eat! Hac ego te dextra ſub Tartara mittam,
Teque, Tuamque Manum. Tumidos deponite flatus!
Pluta locuturum Draco rurſum excepit. An armis
Veniſti, an lingua mecum certare magiſtra?
Nequidquam increpitas. Aufer terrere minaci
Garrulitate meos! dum ſpe cauſſaris inani,
Neſcio quem JOVAM; qui ſe non vendicat ipſum,
Deſpectu, fatoque, meis quod molior armis.
Dextra mihi Deus, & ſtridens hæc lancea, quacum
Experiar, ſitne in Cœlo, quod Marte domari
Non queat, & nota Ruſi virtute Draconis.
Nulla ſalus Paci. Bellum te poſcimus omnes.

Dixit. Et ingenti ſeſe clamore cohorti
Reddidit, ante illas digna atque indigna relatu
Vociferans. Rerum ſpes & fortuna mearum!
O domitor Cœli! Miles! quod ſæpe vocaſti,
Tempus adeſt. Toties quæſitæ copia pugnæ
In manibus veſtris. Hæc Lux præſtabit Honores.
Hæc Libertatem, Sceptrumque. Hæc, judice ferro,
Pandet, Uter melior ſit bello. Uter arma pararit,
Juſtius. Hic medio poſuit Mars omnia campo.
Enſe petas, juguloque! cupis quicumque potiri
Talibus. Ille ego ſum, cui vobis, Marte peracto,
Quæ Cœlum, Telluſque tenent, donare licebit,
Ut virtus, dextræque vigor cujuſque merentur.
Idcirco eventus audax ſperare ſecundos
Pro ſe quiſque poteſt. Neque longo arceſſere voto
Eſt opus imperium. Camporum limite parvo
Abſumus a regno, neque multo ſanguine conſtat.
Gymnaſiis aderit doctis exercita Pubes,
Non caſtris, vix arma ferens: quibus otia cordi,
Et citharæ, & cantus, tantumque ſonare JEHOVAM
Laude ſuum docti. Tali cum milite res eſt!
Ite per ignavas animo præſente catervas!
Unica victricem vobis parit hora triumphum.
Cernitis? Iſta manus noſtris non ſufficit armis,
Vixque virum, alterni ſi congrediantur, habebunt
Phelus & Euroſtes. Reliqui ſpectabimus hoſtem.

Sed

Sed mihi da veniam, tua qui moror arma loquendo,
Prodiga Gens animæ! dudumque cupidine belli
Hanc exoſa moram! Sic poſtquam dixerat, haſtam
(Principium pugnæ!) magna vi torquet in altum,
Turbidus. Illa volans celeri per inane volatu,
Permiſſum ventis abſcondit in aere robur:
Quaque abiit, longo lucem dat limite ſulcus,
Pone viam ſignans. Liquida ſic noctis in umbra
Sidera tranſcurrunt, crinemque volantia ducunt,
Aut ſi non volitant, poſſunt volitare videri.
Magno erat augurio monſtrum hoc, ut & exitus ingens
Poſt docuit. Terrent ſed Numina nulla Draconem,
Obtutu ſequitur torvo. Dein flagitat alta
Voce, manuque, novis inſtructum mortibus enſem,
Quem ſucco & magica docuit crudeſcere lingua.

BELLI ANGELICI
LIBRI SECUNDI
FINIS.

FREDERICI TAUBMANNI

BELLUM ANGELICUM.

LIB. III.

NON minus adverſo Princeps obit agmina campo,
Nomine quemque vocans, Michael, ac talia fatur.
Ne, Miles! Ne verba time violenta Draconis!
Cauſſa jubet melior ſortem ſperare ſecundam.
Nuſquam abero vobis. Hac ſpe præſumite pugnam.
Ipſe ego vim belli excipiam, ſoluſque ruenti
Objiciam telo caput, atque in me omnia vertam.
Hos inter motus, media inter talia verba,
Ecce! duci, a læva, ſtridore vibratur acuto
Lancea; nec ſcitur, quo ſit contorta lacerto.
Illa (fide majus!) pleno ſtetit impete, nullo
Verberis incuſſu, nec pondere vergit ad imum,
Sed, niſu librata ſuo, medio aere pendet.

Jam,

Jam, Michael! Jam nulla mora eſt. Qua duxeris, imus,
Miles ait. Nobis data ſunt hæc omina! Nobis!
O Deus! hæc firma, ſi pro Te ſtamus in armis!
Concurrunt animis, quantis concurrere par eſt,
Quos regni furor exagitat, ſubitoque tumultu
Hinc atq; hinc pugnam invadunt. Stat pronus in ictus
Quiſque ſuos, animique ferox ora undique portat
Obvia ductori, ceu ſolus bella capeſſat.
Horreſcit ſtrictis atrox ſeges enſibus illic,
Illic & totis in vulnera viribus itur.
Surgunt undantes glomerato pulvere nubes,
Tempeſtaſque oculis inſtat, Cœlumque tenebris
Clauditur, atque acies cœco involvuntur amictu.
Sentitur pleriſque prius, quam cernitur ictus.
Claſſica dant animos, inflataque cornua fracto
Infremuere ſono. Raucis it ſtridulus aer
Eliſus lituis, ſparſoque fragore tubarum.
Ingeminat clamor, jactæque per æthera voces
Horrendo incendunt nubes plangore. Tot ægre
Audire potuere tubæ. Cœlum omne reſultat
Terrifico late fremitu. Luſtra alta remiſſos
Excipiunt ſonitus, imis pulſata cavernis.
Ipſæ acies lituoſque graves, vociſque tumultum
Expavere ſuæ, toto ſimul orbe relatum.
Spargitur innumerum diverſo miſſile voto,
Nec vacat hic ullum teli genus. Hic ſude pugnas,

Hic

Hic pinu flagrante ciet, hic pondere pili:
Ille pilis, quas flamma volans jacit ære cavato;
Flamma, ſaliſque, nitrique, & ſulphuris acta furore.
Contremuere Poli. Strident haſtilibus auræ.
Telorum effuſus glomeratur in æra nimbus,
Eripiturque dies, ferroque obtexitur æther,
Noxque ſuper campos telis conſerta pependit.
Inde cadunt mortes inopina ſtrage, nec ullum
Pondere fruſtrato rediit ſine vulnere telum.
Arva natant, prohibetque viros conſiſtere torrens.
Qua vero admotos diſtringitur enſis in ictus,
Clade nova pars magna ruit, nullumque ſub uno
Vulnere procumbit corpus. Super ipſa ſuorum
Conſiſtunt avidi proſtrata cadavera. Pelli
Ordine nemo ſuo patitur ſe. Qua ſtetit, iſtic
Oppetit & mortem. Contemptrix turba periculi,
Quæ ſe præcipitem primo dedit obvia ferro,
Sternitur in medium. Non jam procumbere terra
Corporibus licet arctatis. Stant, cæde peracta,
Victoremque premunt denſis ſuffulta catervis;
Dumque labant, lapſu partem dant cladis in ipſo,
Vivorumque ſuis elidunt corpora truncis.
In terram primi labuntur, in agmina ſummi.
Ad molem ſtetit hoſtis iners, dextramque movendi
Amittens ſpatium, vix eluctatur ad ictum,
Sed gladios timet ipſe ſuos compreſſus in arctum.

Tunc

Tunc metuens Michael, ne frons ſibi dextera, tanto
Incurſu diſtracta, labet, cæſoque fatiſcat
Milite, nil motis actutum cornibus agmen
Ad latus immittit, qua ſe Draco ſævus agebat,
Ante quod in tales poſitum damnaverat uſus.
Tympana tenta tonant! Taratantara rauca fragorem
Horrificum ingeminat! * * * * * * * * * * * *

Hoc Bellum, Juvenili Confidentia adtentatum, debellare nunc non libuit.

In

JOANNIS MILTONI,

PLAGIARIORUM PRINCIPIS,

FURTA LITERARIA FERE INFINITA,

GULIELMI LAUDERI

EPIGRAMMA.

SCAZON.

DIC, oro, DIRE SCAZON! hactenus quare
REX omnium VATUM audiit (nefas!) MILTO?
In cauſſa promptu eſt: PLAGIARIUM & REX eſt,
Opibuſque nituit non ſuis, ſed adſcitis,
Splendore ſumpto mutuo, imo furtivo,
Inſtar CROMWELLI (ſimilis eſt Hero Servus!)
Aliena quique ſceptra (proh ſcelus!) geſtant,

Falſaque

Falſâque ſpecie plebis ora præſtringunt,
Auramque volgi frivolam leves captant.
Quæ monſtra dira nulla non tulit ætas.
REDDAS SUUM CUIQUE, ſpondeo nudos:
Graculus ut olim, gemmeam explicans caudam,
Furto retecto, riſus exſtitit cunctis.

ALIUD.

EJUSDEM IN EUMDEM.

PRO ſe quiſque refert, clepſit quem MILTO, Poeta,
Hos ego verſiculos feci. Tu, PESSIME! honores
Surripis. O! reddas tandem, quod reddere debes,
CUIQUE SUUM ſcilicet. Norma Æqui, & Regula Veri hæc.
Hoc Jus, Faſque volunt. Tu, merx mala! miſſus abibis
Ἐς κόραξας (dignum ut latronibus) omne per ævum,
Confeſſus culpamque gravem, pœnamque decentem.

ALIUD.

ALTERIUS Vitula niſi araſſes, MILTO! Poeta
Unius haud aſſis tu faciendus eras.

Paraphraſed in Engliſh.

HAD MILTON not plow'd with his Neighbour's Fair Heifer,
FAM'D PARADISE LOST had not been Worth a Cypher!

FINIS.

MVSEVM BRITANNICVM